



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

Dom. IIII post pen. Euang. Era[n]t appropinqua[n]tes. Luc. 15 Homiliae tres

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35259**

**EVANGELIUM DOMINICAE QUARTAE**

à festo Pentecostes

Luce XV.



**I**N illo tēpore Erant <sup>Marci. 9.</sup> <sup>Marci. 2</sup> appropinquātes domino Iesu publicani & peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant pharisæi & scribæ, dicētes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cū illis. Et ait ad illos parabolā istam, dicens: <sup>Matth. 18</sup> Quis ex uobis homo qui ha-

bet centum oues, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens. & ueniens domum, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni quem meam quæ perierat. Dico uobis, quod ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agēte, quàm supra nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne

Z iij



accendit lucernam & euerit domum, & querit diligenter donec inueniat eam. Et cum inuenit, conuocat amicas & uicinas, dicens: Congratulor tibi mihi, quia inueni drachmam quam perderam. Ita dico uobis, gaudium erit coram angelis dei super uno peccatore penitentiam agente.

## HOMILIA I.

- Matth. 9.** **V**erbo simul & opere declarauit dominus uenisse se ad conuertendum saluandumque peccatores. id est eo enim publicani etiam appropinquabant ad illum, qui in hoc natus erat homo, ut peccatores reuocaret, atque ob eam rem facile passus est eos ad se accedere. huiusmodi autem erant isti peccatores, qui parati erant a peccatis recedere, & ad cenam agni uenire, ut **Magdalena, Matthæus, Zachæus** & illi de quibus hic dicitur, quia appropinquabant ad Iesum, ut audirent eum. Ecce itaque geminos tibi in hoc euangelio peccatores: alij audire cupiebant dominum, alij etiam murmurabant: illi boni, hi damnati erant, quamuis & hos dominus salutaribus doctrinis cupiebat ad sui cognitionem adducere.
- ¶** Appropinquabant ergo ad dominum peccatores, non pedibus tantum corporis, sed & mentis, ut iam poterat de eis dici, **Vos qui a longe fuistis, prope facti estis.** quando igitur deo appropinquauerunt, gratiam consecuti sunt, iuxta illud: **Appropinquate deo, & appropinquabit uobis.** Quamuis enim diu Christo cohabitassent corpore, animo ab eo alienato & alibi peregrinante, nihil profuturum eis erat, sicut neque **Iudæ, nec pharisæis** profuit quod, sicut propheta dixit: **Prope es tu ori eorum, sed longe a renibus ipsorum.** & alij quod, **Pompulus hic labijs appropinquat, cor autem eorum longe est a me.**
- Matth. 29.** **Q**uisquis autem toto corde accedit ad dominum, ad illum uicissim dominus uenit per gratiam suam, imo & trahit illum, & obuiam uenit ei, sicut pater filio isti prodigo, sic **Gregorius de Maria Magdalena, Quid, inquit, miramur magis, peccatricem, quam uenit, aut dominum qui attraxit, aut potius uirum.**



que, dominū per charitatē attrahentē, & peccatricem per penitentiam contritionemq; cordis uenientē, iuxta illud: Charitate æterna dilexi te, ideo attraxi te miserās: cui susfragatur altes; istud, Funiculis traham eos, uinculis charitatis. **Contra** autē peruersis ludæis dixit dominus, **Nō** uultis uenire ad me, ut habeatis uitam.

¶ **Considera** tamen exactius nō simplices peccatores, sed publicanos uenisse ad dominū, qui tributa coemerāt, & in illorū exactiōibus misere homines excruciabāt, autore Hieronymo: **Quis** quidā eius fuerunt sententiā, ut publicanos istos telonarios gēriles fuisse purarēt, ut Tertullianus, qd Hieronymus reprobat in ep̄la qdā ad Damafum, eo qd dominus in euangelio parabolā posuit de publicano & pharisæo simul ascendentibus in templum, p̄fecto. n. si ethnicus ille fuisset, neq; in templū oraturus ascendisset, neque iustificatus descendisset. **Ad** hęc Mathæus quoq; Iudæus exiit & publicanus. **Vos** itaq; etiā appropinquate domino, ut saluemini. **Extende** ut placet.

2. ¶ **Ascendentibus** ad dominum peccatoribus, scribæ & pharisæi murmurare cœperunt, unde Gregorius dicit, **Vera** iustitia compassionem habet, falsa indignationem, quomodo pharisæi fucata sua pietate ihs qui conuertebatur ad dominum, indignabantur. **Indignatur** ecce peccator iusto, & iustus irascitur peccatori, sed diuersis modis: hic amore iustitiæ, ille pompa superbiæ. iustus enim quāuis exterius uerba indignationis adcumulat, intus tamē charitatis dulcedinem seruat. peccator tantum superbit ex falsa iustitia, alios p̄ se cōtemnit, neq; in firmis quicq; compatitur: & quo minus se peccatorem agnoscit, eo maior efficitur peccator. **Huiusmodi** erāt homines isti pharisæi, qui ideo dominum contempserunt, quod peccatores reciperet.

¶ **Pessimum** autem quid est & deo uel maxime exosum, murmurare aduersus peccatores, cum conuerti uolūt ad dominum. **Hinc** Sapiens ait, **Custodite** uos a murmuratiōe, & parcite linguæ a detractiōe. **Os** enim quod mentitur, occidit animam. **Verum** de ihs plura in sequenti dominica. **Pharisæi** autem gemina de causa murmurabant, partim quod tanta pietate **Christus** peccatores reciperet,



partim quod cum eis manducaret, quod ille sane diuina faciebat benignitate & misericordia. quamuis enim deus odio habet peccatorem, humanam tamen naturam non odit, quam etiam ad imaginem suam creauit. hinc ille longanimis & patiens diu sustinet poenitentiam eorum, uenientes etiam placidus adsumit, conuersos ad se paterno fouet adfectu. sic Propheta inquit, Benignus est & misericors, patiens & multum misericors, prestabilis super multitudo (prestabilis hic placabilem significat, consolatorem, planeque est qui indulget & misericors est, nacham hebraice.) Hic etiam immensa Christi pietas cognoscitur, quam uis enim pharisaei exosum habebant Christum, eandem tamen ille eis quoque quam publicanis exhibere paratus est misericordiam. neque duriter adoritur eos, sed mitissime docet ut sanarentur, proposita in hoc parabola, qua declarat, quonam modo ille uellet peccatorem seruare hic in terra.

Os. 2

3. ¶ Eadem quoque parabola docere eos uoluit non murmurare aduersus peccatores poenitentes. si enim super oue perditam rursum inuenta, animali utique bruto & ad imaginem dei non creato, gaudium tantum concipitur, quanto magis ex homine poenitentiam agente, creatura rationali, & qui ad imaginem dei conditus est, per peccatum tamen subsequens deperditus, iuxta illud, Erraui sicut ouis quae perijt, require seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Miraris autem quid sibi dominus cum ijs centum ouibus, & ex illis una deperdita uelit? Audi, quando centenarius numerus est perfectionis, oues centum recte habuisse dicitur deus, qui angelos & homines possidet: ex quo grege ouis una tunc perijt, quando homo per peccatum pascuis excidit aeternae salutis. & esse quidem homines oues, testatur psalmista cum ait: Nos populus eius & oues pascuae eius, sic deus per prophetam inquit, Vos estis oues mei gregis, uos homines, dicit dominus. Ex ijs ouibus electis nimirum dei creaturis, deperijt una primum statim in paradiso, Adam cum uniuersa posteritate sua, sicut Isaias omnes nos errare dicit instar ouium, & quemlibet declinare in uiam suam. Angeli quidem permanserunt in perfectione tua. misit autem homo excidit numero illorum. Et tamen uide hunc quoque

Theoph.

Gene. 1

Psalm. 113

Psalm. 74

Iezec. 34

Isaie 53



adhuc esse in numero. dicit enim dominus, **Quum** amiserit unam ex illis. **Ecce** q̄ & homo adhuc in numero cętenario est & inueniri potest, quamuis sit perditus, atq; ad gregem reduci. non sic autem diabolus, q̄ plane iam hoc numero excidit, & irremediabiliter deperit. filius autem dei ideo descendit de cęlo, ut ouem perditam quę iam erat extra numerum, quęreret, hominem scilicet, nō autem diabolum, quem, ut semel perit, ita deperditum s̄. **Heb. 2**

¶ **Quantam** itaq; habeat charitatem erga ouem deperditam, ostendit quum subdit: **Nonne** relinquit nonagintanouem oues in deserto? **Oues** illę nonagintanouem, nouem sunt chori angelorum, quos in cęlo reliquit. **Que**ris autem cur hic dominus cęlum desertū uociter, in quo tanta est angelorū multitudo, ut dixerit **Propheta**, Mille millia ministrabant ei, & decies centena millia adfistebāt ei. **Respondet** uerum quidem esse, q̄ hic in terra locus aliquis cum desertis, desertus iacet & corrui: non tamen hoc modo **Christus** deseruit cęlum, in quo deus uerus semper erat. sed ideo etiam cęlum locus desertus appellat, q̄ homo, cum peccasset, ipsum deseruit: uel etiam solitudo dicit, quod procul ab omni mundana turbatione longe segregatum est, non secus ac cęnobium, licet a sexcētis (ut olim res erant) fratribus inhabitet, eremus tamen dicit.

¶ **Quando** itaq; cęlū pace & tranquillitate plenum est, recte deserti nomine intelligitur. **Sunt** q̄ antiqua consuetudine cęlum hic desertum dici putent, quoniam olim ueteres in nemoribus & desertis magnis pauerint oues, ut filij **Iacob** cum pecoribus suis ex sylua in syluam commigrabant, quando **Ioseph** eos quęrebat in **Hebron** & **Dothaim**: sicut & **Moyse** oues focerij sui in uastitatem deserti agebat, ubi & pascua sunt meliora, & lupi defunt ac fures. **Quum** ergo in cęlo pascua sint optima diuinę amoenitatis, sicut testatur **Christus**, cum ait eum, q̄ per ipsum ingrediatur, beatum fore, intraturum quoq; & egressus, atq; pascua inuentus, recte cęlum deserto comparat, de

Theoph.  
Gregori.

Daniel. 7

Gregori.

Gene. 27

Exodi. 3

Joh. 10.



**Psal. 64.** quo & Dauid, pinguescent, inquit, speciosa deserti, & colles habundantate. Possent consimiles rationes plurimae congeri, ues; ego iis super sedeo, quonia & Christus in deserto quinq; millia, & iterum quatuor millia hominū pascit, q; beatos omnes pascit in æterna patria.

**Johan. 6**  
**Matth. 15**

4. ¶ Relictis itaq; nonaginta nouem, uadit quæstum unicam illam ouem, quæ perierat. Ita nimirum dominus noster Iesus Christus per incarnationem suam uenit in hunc mundum quærere ouem perditam, sicut ipse dixit ad apostolos: Exiui à patre & ueni in mundum, &

**Johan. 16**  
**Matth. 15**

**Iezec. 34**

**Luc. 1**

**Johan. 3**

**Isaie. 40**

**Matth. 23**

**Luc. 16**

apud Matthæum, Tantum ego missus sum ad oues perditas domus Israel. Idipsum prædixerat Propheta, inquit: Ecce ego uisitato oues meas, sicut pastor uisitat gregem in die, quando erit in medio ouium suarum dissipatarum, atque hæc immensa illa bonitas est & misericordia dei, qui nos oues suas tam clemēter uisitare dignatus est. Et hoc est qd Zacharias instinctu spiritus sancti dixit, Per uiscera misericordie dei nostri in qbus uisitauit nos oriens ex alto. Quisquis uere uiscera illa diuinæ erga nos pietatis contemplatus fuerit, admirari satis non poterit, quod diligenter adeo nos deus quæsiuit, ut filium etiam suum, quem habebat unicum, pro nobis impenderet.

¶ Vide ergo istius nostri in quærēdo sedulitatem, quod non desinit quærere tantisper dum inuenerit. Quod respexit Isaias, quum ait: In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, feras ipse portabit. Ecce quā proprie propheta assiduitatem illius quasi de pinxit. congregat enim oues dispersas à lupo & à peccatis suis, congregat etiam in iustificatione. quia qui cum Christo non est, dispergit. & idipsum congregare, est iustificare, sicut alibi dixit: Ierusalem Ierusalem, quoties uolui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, & noluit? Iustificatus igitur homo per gratiam dei, deferretur in sinum dei, hoc est, in illius pace & consolatione, adeo ut in conscientia sua tam sic quierus, quā caput puluillo imponit. Nam quod sinus requiem significet, uel solus nos docere potest Lazarus in sinum Abrahe deportatus, & quia quies spūi tribuatur, arguit illud Isa-



*Isaie. 40.*  
 hæ: Requiescet super eum spūs ueritatis. & deinceps, Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum: quoniam nihil est in mundo irrequietius conscientia mala. Ad hæc cum iam iustificatus quis est & quietus, tūc pastor oues scetas ipse portat. Quænam illæ sunt scetæ? homines ex pñs operibus bonis uelut prægnantes. quum enim illi ea sibi conceperint animo, iuuatur a deo, ut perficere possint, iuxta illud quod canit ecclesia: Actus nostros quæsumus domine inspirando præueni, & adiuuando prosequere. & hoc est quod dicere uoluimus, de ista diligenti inquisitione, quam facit pastor de ouibus, quas adeo diligit ut ad gregē centesimum sanctorum angelorum adducere modis omnibus percipiat, quibus utinam nos adiungamur in cælis. Amen.

## HOMILIA .II.

**M**urmurantibus cōtra dominum pharisæis, eo quod misericorditer adeo peccatores reciperet penitentes, ipse per parabolam docet se ideo uenisse de cælo, ut oues quæreret deperditas: quas ubi inuenit, ait se cum gaudio humeris suis impositas reportare ad reliquum gregem. Quem illam perditam dominus tunc humeris suis imposuit, quando in illis crucem portauit, quando naturam adsumpsit humanam, & peccata nostra tulit, infirmitates simul & dolores nostros gestauit, attritus propter scelera nostra. Vere enim animam suam & dedit in mortem, & cum iniquis deputatus est. Vere inquam peccata multa pertulit, qui & pro malefactoribus rogauit. Petrus quoque clare testatur, quomodo pastor ille noster ouem suam gestarit. ait etenim, peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, hoc est, peccati nostri pœnam & supplicium sustulit. Sequitur ergo, ut nos mortui peccatis, iustitiæ utuamus, cuius liuore sanati sumus. Merito igitur nos glorificare uicissim dominum debemus, portantes dominum deum in corpore nostro.

*Gregori.*  
*Isaie. 53*  
*1. Petri. 2*  
*1. Corin. 6*  
 Ambrosius hæc Christi uerba præclare inducit, in *Ambrosi.*



quiēs: **Caudeamus**, quia ouis quæ in **Adâ** perierat, in **Christo** rursus tollitur. **Humeri Christi**, ipsa sunt brachia crucis, & illuc reposui ego peccata mea, ibidem etiã requieuit anima mea. quãuis ergo dominus magnis circūdatus erat doloribus & mœroribus, sicut suus testatur sermo, **Tristis** est anima mea usque ad mortem, tamen cum gaudio sustinuit omnia: quique ex supplicij grauitate dolebat, de redemptione hominum dici non potest quã sit gauisus, teste etiam **Paulo**, quando ait, **Proposito** sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque **Dauid**, **Exultauit** ut gigas ad currendam uiam suam. **Dices**, qui fieri possit, ut quis simul & gaudeat & tristetur. **Sane**, nec em̄ contraria sunt hæc, gaudere aliquem ex re alia, & ex alia tristari. sic **Paulus** quoq; ait, **Excipientes** uerbum in tribulatione multa, cum gaudio spiritus sancti. sic & **Iacobus**, **Pro gaudio**, inquit, ducite, cum in tentationes incideritis uarias. **Id** in omnibus martyribus contingit, qui licet dolores maximos sustinuerint: inter omnia tamen hæc tormenta ex consolatione interna spiritus sancti gauisi sunt. sic cum gaudio ad crucem festinauit, eamq; salutauit **Andreas**, **Laurentius** prunas ardentis rosas esse reputauit. **Et** hoc naturale, quod uir bonus & fortis pro patria constanter occumbens, quamuis dolore non careat, tamen quia ex uirtute mortem pro patria oppetit, id ipsum cum gaudio facit, siquidem (iuxta **Philosophum**) etiam omnis uirtuose agens, delectabiliter operatur. Sic uolunt doctores, quod quamuis animæ in purgatorio detentæ, in immensum torqueantur, multum tamen habent gaudij, dum & uoluntatem diuinam agnoscunt, & se illi per charitatem conformant, gaudentes etiam illam impleri, certæ interim salutis æternæ. Ita hic inquit dominus, **Cum gaudio** imponit ouem humeris suis. **Gauisus** est **Christus** in passione sua, & tamen dolenter tristatus est, quoniam nostra esset dominus de humani generis redemptione, de uictoria angelicæ ruinæ, & de paterni mandati implementatione. In summa, gaudium & tristitia non contrariantur de diuersis obiectis.

**Gregori⁹.** 2. **Quumq;** ouem inuentam domum retulerit, con-



uocat ille amicos, sic Christus quoque oue per passionem suam inuenta, rursus ascendit in caelum: ibique amicos suos inuenit, totos choros angelorum: qui amici utique sunt dei, quoniam seruant uoluntatem ipsius constantiter: uicini etiam sunt, eo quod felici obtutu claritatem diuinae essentiae uident semper. Ait autem ad illos: Caudere & congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quae perierat. Ecce, non dicit, Congratulamini oui perditae, iam rursus inuenta, sed mihi, quoniam gaudium illius uita nostra est. Quod si Paulus gratulatus est probitati Philippenfium, **Philip. 4.** quanto magis nobiscum gaudet deus de felici pietatis profectu: sic enim dixit Paulus, Fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea.

Obijcet aliquis hic, quomodo angelos dicamus tam amicos esse & uicinos, quam iam supra diximus esse nonaginta nouem oues in deserto relictas, aut qua ratione ex ouibus tam repente amici & cognati facti sunt. Respondet Theophilactus, & dicit nos posse angelos gemina ratione considerare: altera, ut creaturam dei, quomodo omnis creatura deo comparata, uana est & beluina, atque sic etiam angeli oues dei sunt: altera uero, quando creaturae ipsae inter se conferuntur: & tunc creatura aliquid est, quae comparata deo, nihil esset: sicut & si creaturam unam alteri conferas, ipsa bona est: quae si conferatur ad essentiam dei, uerum erit illud euangelicum, Nemo bonus est nisi solus deus. Ita hic angeli comparati deo, oues sunt & ouibus etiam inferiores: collati autem hominibus, amici sunt & uicini dei. **Luc. 18**  
 Quid multa? Angeli, cum a summo pastore pascantur, foueantur & custodiantur, merito oues dicuntur: & tamen quando tam sublimi modo donati & coronati sunt a deo, ipsius etiam gloriae facti participes, & cohaeredes existunt aeternae salutis, uere uicini sunt & amici dei, sicut & ad apostolos suos dixit dominus: Vos ego dixi amicos, quia **Johan. 15** omnia quae audiui a patre meo, nota feci uobis. sicque omnes amici dei sunt, quotquot mandata illius seruant, iuxta illud: Vos amici mei estis, si feceritis ea quae praecipio uobis. Et iam tadem parabolam istam concludit dominus, Dico uobis, quod ita gaudium erit in caelo super uno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis,



- Gregori<sup>9</sup>.** q non indigent pœnitentia. Intelligit hoc Gregorius de peccatoribus, qui acta pœnitentia tam ardentibus sunt in operibus bonis & feruentibus, ut præsentent ihs qui sic lapsi non sunt. Cuius generis extitit illa peccatrix Maria, cui ideo dimissa sunt peccata multa, quia dilexit multum, sic
- Lucę. 7** Ambrosius, Fidelior, inquit, factus est Petrus postquam si dem se perdidisse defleuit, & ideo maiorem gratiam reperit q̄ amisit. Quo pertinet & istud Pauli, Vbi superabundavit delictū, superabundavit & gratia. Neq̄ ȳo pauci sunt, q̄ p̄ terita delicta cōsequenti lucro cōpensant, ubi qui non cecidit, nullo rāto ducitur operum honorum studio & amore: sicq̄ ille prior plus gaudij adfert domino deo, sicut & agricola illam terram amplius amat, quæ post spinas haberes fruges profert, quàm eam quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem produxit. Atque ad hunc sensum non est uerbum hoc mere uniuersale, quoniam non est gaudium maius super quocunq̄ peccatore pœnitentiam agente, quàm super quocunq̄ iusto.
- Gregori<sup>9</sup>.** Quor enim sunt uestrum, qui pœnitentiam agitis diligenter de peccatis commissis? hic sane quāuis ideo de pœnitentia uestra gaudent angeli, & omnes sancti in caelis, non adeo tamen, ut de uirginibus non peccantibus: tantū abest ut magis gaudeant, ut super Iohanne baptista qui in ipso utero matris est sanctificatus, sed maius gaudium habent de peccatoribus, qui magno animi feruore conuertuntur, quàm super ihs qui in magna delicta prolapsi nō sunt, & tamen se cum hoc non exercent in præclaris operibus misericordiæ: tunc sane plus gaudent angeli ex illis, quàm ihs. Atque hoc est quod dicit Ambrosius, Proficere illud debet cuique ad incentiua probitatis, si unusquisque conuersionem suam gratam fore credat cœlibus angelorum: quorum ut intercessionem petere, ita offensam uitare quisque debet. Cura igitur quisquis in peccato iaces, gaudio sis angelis dei de tua ad illum conuersione.
- ¶ Sunt qui uelint hic Christum non loquutum de essentiali gaudio, quasi istud maius sit super peccatore qui conuertitur, quàm iusto qui pœnitentia non eget, sed de accidentalibus gaudio, de externa gratulatione & signo latit.



tiæ: sicut clare pater ex sequenti parabola de filio prodigo, cui iam reuertenti occurrit pater, uestirique eum iussit & calcari, & anulo insigniri: idque totum tanto applausu tantaque omnium adgratulatione, ut senior etiam iste indignaretur de gaudio, quod sibi pater nunquam exhibuerat. Sicque conclusio ista cum priore expositione facile concordat, quoniam effusius gaudium habet deus super homine lapsio, & per passionem **CHRISTI** reuocato, atque penitentiam agente, quam super nonaginta nouem, hoc est, super nouem choris angelorum qui nunquam ceciderunt, penitentiam nullius indigunt. Quamuis absolute loquendo, deus non ideo ex quo uis homine gaudium maius habet, quam super omnibus angelis: sed sicut mater quæ decem habet filios, ex quibus cæteris bene ualentibus decimus ægrotare incipit, tunc sane plus curæ habet de illo restituendo, quam reliquis conseruandis: & maius gaudium concipit super ipso iam reualefcente, quam de cæteris qui non ægrotant: non quod uere & essentialiter unum istum decimum plus nouem diligat, sed quia morbus in causa est, cur magis illi curæ sit decimus unus, quoniam uoluntas materna maiori tunc affectu, tum desiderio fertur in sanationem filii. Significantius etiam sic dici poterit, quod sit maior charitas in affectu, non in effectu, quia maiori dilectione etiam quis potest minus facere.

¶ **C**on simile huic est, si forte uicini tui filiulus frequens sit tecum, & plurimus tibi cohabitet, ita ut adsuefcas illius, sit ut quum ille per se placidus sit & gratus omnibus, tibi quoque charior efficiatur aliquo cognato: reuera tamen cognatus hic tibi charior est, quoniam propter illum plus quam pueri istius nomine faceres. & tamen si forte cõtangeret apud te mori puerum, futurum esset, ut plus ex illius quam cognati morte doleres, ob illam diuturnam consuetudinem pueri, plus mouentem animum tuum, quam faciat cognatus a te semotus. Atque ex hoc fundamento intelligi potest, quomodo **Christus** Petrum quadam ratione plus alijs dilexerit apostolis, & quo pacto Iohannem, sed hæc alijs.



- Job. vii.** ¶ Gaudium itaque erit in caelis super uno peccatore penitentia agente, gaudium inquam erit, quia noua gaudii materia & ratio gaudendi; sicut Iob post multas tribulationes & arumnas ad extremum opulentiore, & cum magno gaudio magnificentior factus est, quam si miser nunquam fuisset: quoniam quae cumque habuerat, deus illi dedit duplicata. Similiter & cum Thobias reuersus esset ex Rages, maior factus est parenti utriusque gaudium, quam si nunquam abiisset. Ipsi quoque Thobiae a caecitate restituro laetitia maior erat, quam si caecus non fuisset. Sed nunc iam rationes aliquot subnectamus, quare angeli de nostra conuersione tanto opere gaudeant.
- Psal. 109.** 1. ¶ Eo quod uident per homines ruinas suas impleri, sicut iam supra ex Dauide induximus.
- Augu. in soliloq.** 2. Quoniam ciues sunt, ut ait Augustinus, beatam ciuitatis perpetuae Ierusalem, in hoc missi ad nos, ut confortent & muniant nos, atque orationes filiorum offerant in conspectu dei. Quando igitur anima relicto instinctu diaboli spiramen bonum sui angeli sequitur, atque penitentiam agit, tunc sane gaudet ille, ministerium suum atque custodiam bene successisse. Et sicut angelus de homine suo tristat, quum peccat, iuxta illud, Angeli pacis fiebant amare, ita dum refertur, laetatur rursus, dicente propheta: Gaudete omnes qui do-  
**Isai. 39.** luistis super eam. Atque hoc modo in caelis angeli gaudent de felicitate hominis, qui sua custodia sit saluatus. Quae de re plura in feriis Michaelis.
- 2. Tim. 2.** 1. ¶ Constat militiam & bellum esse inter Christum & diabolum. utriusque igitur exercitus est, quia utriusque praelium mutuumque conflictus, honorum apud Christum, & malorum quae partes diaboli tuentur: ut iam merito Christianum hominem Paulus iubeat laborare, ut bonum Christi militem. In cohorte ergo malorum cum sit peccator, hic ipse quum penitentiam agit, ad Christi uexillum conuertitur. hinc gaudium angelis est, exercitum suum augeri uidentibus, & istum diminui, quae non parua etiam gloria Christi est, quia in multitudinem populi dignitas est regis. Est eadem quoque gloria magna patris, dum uidet in anima hominis ena-  
**Isai. 26.** sci spiritum salutis, sicut illi fieri filium dei per gratiam suam, cuius nobis potestatem dedit dominus. Gaudet & laetatur deus
- Prone. 14.**  
**Isai. 26.**  
**Johan. 2.**



filius, uidens efficaciam suae passionis & effusi sanguinis uirtutem, sicut in hac parabola docemur exemplo ouis deperditae. *Luc. 15* Gaudet inquam ille imaginem suam in anima poenitentis rursus reformari & agnosci, quod in parabola drachmae inuenta insinuatur. laetatur & spiritus sanctus, dum in conuersione peccatoris templum denuo acquirit penes dirutum, nunc restauratum, quod & Paulus observauit, dicens: *1. Corin. 6* Nescitis quia templum dei estis uos, & spiritus dei habitat in uobis? Non potest autem spiritus ille sanctus habitare in anima, nisi prius expulso inde diabolo per poenitentiam. Magno quoque gaudio insuper ducitur spiritus sanctus, eo quod membrum denuo adipiscitur quod uiuificet, dicente itidem Apostolo: *1. Corin. 6* Nescitis quia membra uestra templum sunt spiritus sancti, quae est in uobis? Sic ergo membrum quod per peccatum segregatum erat a corpore Christi, per poenitentiam & gratiam spiritus sancti reuiuiscit, rursusque uiuificatur. quam obrem Paulus omne peccatum extra corpus Christi esse perhibet, cuius quidem ratio haec est, quod peccator amplius non est (id est per peccatum) de mystico & spiritali corpore ecclesiae, quod per spiritum sanctum uiuificatur. Idem ne igitur uidetis charissimi, quantum gaudium, quam laeta gratulatio, quam festiua solennitas sit in caelo super uno peccatore poenitentiam agente? Et uos itaque conuertimini ad dominum, ut de poenitentia uestra angeli sanctique omnes laetentur, ipseque adeo gaudeat deus pater, deus filius, deus spiritus sanctus. Amen.

HOMILIA TERTIA DOMINICAE  
quarta à ferijs Pentecostes.

**M**agni & graues erant peccatores pharisaei, sed tamen uitam egregie fucatam, à caeteris separata hominibus, & scilicet spiritualem uiuebant, ipsi sibi optimi planeque sanctuli uisi, reliquos praese homines omnes contemnebant, neminem meliorem rati ipsis, qui suae farinae essent & sortis. *Quamobrem murmu-*  
AA



rârunt, conspicati peccatores & publicanos appropinquare ad dominum. Quibus ille rursus per parabolas ostendit, eos cōgaudere sibi debere, quod ouem perditam, hoc est, hominem lapsum rursus inuenisset. & iterum in alia,

**Luc. 15**

Quæ mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam & euerit (Vaticanium habet euerit, licet Gregorius constanter legat euerit) totam domum, & quærit donec inueniat illam? Vult dicere dominus, Si tanta diligentia mulier quærit drachmam unam deperditam, tantoq; gaudio ducitur quum inuenit illam, quanto rectius filius dei summa cū diligentia hominem quæsiuit deperditum? & sicut nemo aduersus mulierem de sua diligentia remurmurat, ita neque erga Christum murmuret quisquam, quod tam opere peccatorem ad se attraxerit, sed illi potius gratulentur.

**Gregori.**

Qui signat per pastorem, inquit Gregorius, ipse & p mulierem, Christus Iesus, qui & deus uerus & dei sapientia est. Atq; quamuis Ambrosius per mulierem ecclesiam intelligit, eiusdem tamen cum Gregorio sententiæ est &

**Ambrosi.**

Theophylactus, ait enim, per mulierem sapientiam accipe & uirtutem dei patris, dominum Iesum, qui nimirum mulier illa est, de qua Sapiens: Multæ, inquit, filiæ cōg-

**Theoph.**

gauerunt diuitias, tu supergressa es uniuersas.

**Prou. vlt.**

Habet autem mulier hæc drachmas decem. Drachma seu numisma iustū habeat pondus, uerā imaginē, & inscriptionem. atque ijs quidem creaturæ rationales significantur, quæ secundum intellectum & uoluntatem conditæ sunt ad imaginem dei, sicut de homine expresse testatur Geneseos historia. Et angeli itaque & animæ hominum supremi regis continent imaginem, quæ principio quidē ponderosa satis erat. indiderat enim ei deus uerum ponderis gradum. siquidem iuxta seipsum uestiuit omni uirtutum genere hominem. Cuiusmodi uero sit hæc inscriptio, satis (ut opinor) complectitur in se lex naturæ omnibus nobis innata, cognitio dei inscripta cordibus nostris iuxta illud: Signatum est lumen uultus tui domine super nos. multum enim tum scientiæ tum sapientiæ inscripsit deus huic suo numismati. fuerūt autem drachmæ decem: angelorum nouem, una hominum, eamque un-

**Gene.**

**Ecc. 15**

**Psalm. 4**



eam amisit mulier, quando homo ad imaginem dei creatus, per peccatum recidit à similitudine dei, tuncque impressum ille amisit in signe, tunc etiam scriptura eius obscurata est: planeque factum est huic drachmæ, quod filiis Sion, qui (ut ait propheta) quum essent inclyti & amisti auro primo, reputati sunt in uasa testea opus manuum figuli. Et hoc est quod dicit Augustinus: Si homo seruasset bonum quod in illo creauit deus, hoc est, imaginem, semper laudaret deum.

¶ Obijceres autem: Quamuis peccatores simus, manet tamen in nobis anima, neque illa amittit imaginem, manente utique essentia animæ, intellectu & uoluntate. Respondeo & dico geminam esse imaginem dei, alteram perfectam, integram, benèque formatam: & ea in bonis tantum est, ubi imago dei per charitatem & gratiam formatur redditurque pulcherrima. Verum hanc, pro dolor, amisit homo per peccatum, sicut ait Dauid: Imaginem eorum ad nihil rediges. Et de hoc Paulus: Sicut, inquit, portauimus imaginem terreni, hoc est, Adæ præuaricatoris, ita portemus & imaginem caelestis. & de hac Augustinus loquitur, quoniam illam amisit Adam. Altera est essentialis imago, siue formata siue informis, non refert, illamque habemus oēs, uerū tamen & ipsius in signe obscuratum est, neque ita patet in peccatoribus, & adhuc minus in damnatis, & hoc est illud Dauidicum: In imagine pertrās ist homo. licet enim quis peccet, animam tamen adhuc suam habet, adhuc intellectu & uoluntate non caret, quæ tria sunt ipsa essentialis imago dei, de qua plura in hominibus de Trinitate, de imaginis autem huius deformitate in propheta: Denigrata est super carbones facies eorum.

¶ Quum itaque amiserit mulier drachmam, lucernam accendit, quod & spiritualiter factitatum est, quando dei sapientia apparuit in humanitate, lucerna siquidem lumē in testa est, lumē uero in testa est diuinitas in carne. Quoniam & Christus ipse corpus suum testam appellat, dicens per Dauidem: Aruit tanquam testa uirtus mea, sicut enim testa in fornace paratur ad ignem, ita Christus corporis sui testam ussit igne passionis, unde & confirmatus est ad robur resurrectionis, Theophylactus: Accendit,



inquit, lucernam, suā carnem. sicut enim lucerna quam uis sit ex terra, illuminat tenebrosa per lucem quam recipit, ita & caro domini, licet terrena esset, lumine deitatis suæ, quam in se recepit, apparuit.

**¶** Reliqui doctores similitudinem hanc adhuc pulchrius illustrant, dicuntque lampadem esse corpus Christi: solum ardens, animam: & plenitudinem gratiæ, oleum: la-

**Isaię. 62.** men, diuinitatem, ut inquit Isaias: Egredietur sicut splendor iustus eius, & saluator eius ut lampas accendatur. Ideo adeo necessarium erat, quoniam homo, qui iam lumen amiserat proprium, inueniri nisi alieno lumine non poterat. Euertit autem mulier domum quam potest diligenter sine, tatisper dum inueniat drachmam. atque hoc est: quod omnis mundus uelut Augiæ stabulum repurgatus est à peccato, quoniā cū primū diuinitas manifesta est per carnem, omnis nostra conscientia perturbata est agnitione nostrę culpæ, eo quod Christus ille est agnus dei, qui tollit peccata mundi. Sic & nos expurgare debemus conscientias nostras uera confessione & penitentiā, atque ad istius mulieris exemplum disquirere singulos angulos diligentissime, quatenus imaginem dei in nobis immaculatam conseruemus. Quod etiam facile fit, accendo tantum prius lumine, quo possimus dispicere uias omnes, actiones quoque & rationes simul ac circumstantias peccatorum. siquidem quod à lumine arguitur, ab eodē manifestatur. Sed & CHRISTVS ipse drachmam hanc quaesuit accuratissime, utque in quærendo melius collustraret omnia, lumē quod accendit ipse, etiam super candelabrum posuit, ut ceteri quoque melius uiderēt. lumē quoque diuinitatis huius quod in humana natura absconderat, in crucem erexit. Christus ut sic ultra omnes eleuatus, ab omnibus uideretur. Vis adeo nos ille dilexit, ut ne proprio quidem parceret sanguini suo, quin effunderet. Potest etiam per lumen lucem intelligi euangelicā doctrinā. quando enim ante hanc tenebrā penes gentes, legis autem umbra tantum fuerat apud Iudæos, recte CHRISTVS lumen accendit suam diuinitatis ueritatis, unde & Iohannes dixit: Lex per Moysen data est, gratia autē & ueritas per Iesum Christum facta est: atque hinc etiam filius iustitiæ à propheta dicit.

**Theoph.**

**Johan. 1**

**Ephē. 5**

**Luce. 11**

**Johan. 1  
Galac. 4**



3. Sequitur: Et quum inuenerit, conuocat amicas & uicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Mulier hæc, sapientia dei, filius dei, quum drachmam inuenerit perditam, hominem miserum, peccatorem istum infelicem, gaudet sane & gratularur. neque immerito. siquidem non mediocris est drachma, in qua principis est figura, atque ideo imago regis census est ecclesiæ. Oues autem nos sumus, atque in hoc rogare deum debemus, ut clementer nos reuocet ad aquas reparationis. Oues inquam sumus, & ideo pro pascuis clame mus ad dominum. Drachmæ sumus, quæ propter nos decet habere precium redemptionis. filij sumus, festinamus itaq; ad patrem, sicut hic deinceps parabola inducitur duorum filiorum. **Gregorius**, Euerfa, inquit, domo inuenitur drachma: quia dum purgatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo creatoris, purgatur, intellige per penitentiam. Conuocat illa amicas, hoc est, spiritus angelicos, congaudentes utique sapientiæ diuinæ, de inuenta drachma deperdita, & reuocata in uitam æternam. Neque multum hæc explicatio diuersa est à superioris parabolæ declaratione. Gaudium enim fuit & **CHRISTO** & supernis uirtutibus, quæ amicæ eius & uicinæ sunt, quia & ipsæ incorporæ, & assistunt ante thronum sapientiæ dei, testante **Daniele**. **Danie. 7**

Omnes igitur illæ lætantur ob drachmam inuentam, hoc est, quod miseri isti & exules filij **Eua**, gratia dei adiuuante, ex hac ualle lachrymarum ad gloriam reuocati sunt salutis æternæ. Per istam mulierem nonnulli ecclesiam sanctam intelligunt, quoniam & ea oues deperditas, drachmam quoq; quærit amissam, accendit etiam luminaria tum salutaris prædicationis, tum piæ orationis, tum bonorum exemplorū. istis enim tribus nos quærit ecclesia. Qui autem ita sentiunt, textum hunc sic tractant, quod in priore parabola significetur, quomodo Christus oues suas quærat redemptione suæ passionis: posteriore autem, quo pacto sancta mater ecclesia filios suos perditos quærat prædicatione, oratione & exemplo. Et deinceps in tertia ista filij prodigi, quomodo pro se quisq; suam quærat felicitatem.



¶ **Est** hęc expositio pię meditationi commodissima. Nam si fundamentum inspicias, tria hęc necessaria sunt ad conuersionē peccatoris, quę hęc continue sine ulla alia intermixtiōe dominus cōiūxit. (habes hic materiam prædicādi per totam quadragesimam.) Siquidem ante omnia oportet præcedat meritum passionis Christi, sine quo opera nostra, quantumuis in se bona, uana futura sunt. Siquidem ad patrem nisi per Christum, peruenire nemo poterit, qui unus est mediator dei & hominum, homo Iesus Christus, qui semeripsum dedit in redemptionem pro omnibus. Quum itaq; unus ille mediator sit redemptionis, quid mirum si seipsum prima statim parabola proposuit, quando & ipse præcipuus est, qui oues suas inquit, imò & ostium ouium existit, quo quisquis ingressus fuerit, saluabitur. Quod si igitur ipse ostium est, merito de iustificatione dicitur, à seipso exorsus est. Quod autem de muliere sequitur, facile ad ecclesiam catholicam referri potest, sponsam CHRISTI, ex cuius etiam latere in cruce nata est, sicut in multis locis tum Paulus tum Augustinus clare testantur. Quod si itaq; mater illa est, utiq; filiorum suorum salutem desiderat, atq; ideo drachmam querit amissam. Cuius quidē tam efficax est oratio, ut mundus totus, quā est impius & sceleratus, periret sicut tempore Noę, & sicut quinque illę ciuitates tempore Abrahę, nisi tā pie & diligēter sancta mater ecclesia pro suis filiis oraret. Etsi autē iam CHRISTVS pro peccatoribus mortuus sit, & ecclesia pro iisdem orauerit, tamen necessarium adhuc est, ut peccator qui ratiois est compos, etiā quod suum est, faciat. Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Atque ideo prioribus duabus tertiam adhuc parabolam adiunxit dominus de filio prodigo, qui hominis pœnitentis quidam uelut archetypus est, apertissime te presentans, quomō ille peccando alienatus sit à deo, quo modo in seipsum digressus, pœnitentiam mediteretur, & quomodo ad patrem ueniens, sit peccata confessus: Pater, exclamans, peccaui in cælum & coram te. His itaque tribus parabolis bene pensatis, habes quicquid necessarium est ad agendam pœnitentiam. Vere enim ouis perditā est peccator, amissa drachma filius prodigus. Quem

Johan. 14  
1. Tim. 2

Johan. 10

Johan. 19  
Eph. 5  
Apo. 11

Augustin.



ut quæreret, & quærendo inueniret **CHRISTVS**, factus est ovis, & quidem huiusmodi, quæ non aperiat os suum dum ducebatur ad supplicium. Et sicut filius dei instar ovis pro peccatore oblatuſ est, ita etiam factus ille est drachma quædam. homo enim qui iam semet diabo lo obstrinxerat, ut iterum redimeretur, hac ipsa opus habebat drachma. Vnde & Petrus ait: Non corruptibilibus auro & argento redempti estis de uana uestra conuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati **CHRISTI**. Tribus quoque iſs parabolis, tria uicia capitalia declarare uoluit dominus, oue perditæ insinuans superbiam, amissa drachma auaritiã, filio autem prodigo luxuriã. Neque hic finis, uerum & pluribus modis exponi possent illa **CHRISTI** uerba, quæ quidem tam succulenta & omnino sunt huberrima, ut nemo illa uel satis perscrutari, uel plâne enucleare possit. (potes itaque superiora latissime extendere, & plures ex iſs facere sermones) sed nos iam claudamus riuulos, dicamûsque cum domino: Sic gaudium erit angelis dei super uno peccatore pœnitentiã agente. Atque ideo oremus dominum, ut ipse quoque nos oues suas perditas clementer uisitare dignetur, humerisque suis imponere, & ad gregem deferre angelorum in æterna gaudia. Deinde incendere etiam uelit lumen gratiæ suæ cælestis, qua ad iuri, expurgemus omnes conscientia nostræ angulos: sicq; iterum inueniamus drachmam deperditam, uera omnipotentis dei imagine insignitam, ut sic & angeli nobiscum & uicissim nos cum illis perpetuo gaudeamus in æterna secula,  
Amen.

## DOMINICA QVIN

TA POST PENTECOSTEN

*Euangelium Luca VI.*

AA iii